



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 14. Aliæ fulminis spirituales vtilitates.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

nempe non earū fulmine deiecta) ita sum-
ma capita plerumq; citiùs, certè grauiùs, à
DEO puniuntur. Sicut fulmen valētiora ve-
hementiùs obterit, eò quòd non cedant, ita *Iac 4. 6.*
superbis resistit Deus, qui humilibus dat gratiã.
Apud Aristotelem, in scuto fulmine ic̄to, æs
liquefactum, lignū quia exhalationi transi-
tum dederat, nihil perpeffum legitur. Nec
similitudine duntax̄t, sed etiam reipsã ful-
men superbiam notauit. Tradit enim Oro-
sius, Lucij AElj Equitis Romani filiam ful-
minatam, omnibus vestimentis ac pectoris
pedumq; vinculis dissolutis, monilibusque
& annulis discussis. Ita fulmina, ita ignis, ita
aër, & tempestates sunt Numinis satellites,
& hominum doctores.

Orosius.
lib. 5.
cap. 15.

§. XIV.

Alia Fulminis spirituales utilitates.

In igne, hominis DEVM amantis virtu-
tes intuemur. Vterque ignis lucidus, cali-
dus, celer est. Vterq; sursum tendit. Nam &
eius, qui DEVM amat, lucent opera, calet
affectus, nec patitur amor tarditatē: deniq;
cælum versus semper mouetur; nec ter-
ram petit, nisi violentiam patiatur. Quid
quòd celeritas Angelici motus hinc inote-
scit? quippe fulminis ocyor alis is est. Vnde &

Luc. 10. Dominus ait: *videbam sathanam, sicut fulgur,*
 18. *de celo cadentem.* Immo & claritas eius ful-
 Matth. gure exprimitur. Quippe boni Angeli *aspe-*
 28. 3. *ctus erat, sicut fulgur.* Quin ipsius Filij homi-
 nis velocitas & claritas pariter, cum fulgu-
 re, comparatur. Nam, *sicut fulgur coruscans*
 Luc. 17. *de celo, in ea, quæ sub celo sunt, fulget: ita erit Fi-*
 24. *lius hominis, in die sua.* Et, quia *celeritatis, atq;*
claritatis similitudinam habemus, addamus
 & reliquas duas corporis gloriosi dotes, *im-*
passibilitatem, inquam, & *penetrabilitatem,*
 quæ itidē quodammodo in fulmine conspi-
 ciuntur. Aiunt enim, fulminis lapidē, ob ve-
 hementem lentæ & viscosæ materiæ siccita-
 tem, nulla ratione liquari aut emolliri pos-
 se, tametsi durissimi alioqui silices liquefie-
 ri fundique, per artem, soleant. Quæ est uti-
 que quædam *impassibilitatis* imago. *Penetra-*
bilitatis autem longè clarior, in fulmine, si-
 militudo reperitur. Est enim quoddam ful-
 minis genus, quod *clarum* vocant, subtile &
 flammeū, ita terebrans, ut per angustissima
 quæque, ob puram flammæ tenuitatem, ef-
 fugiat, nimiaque velocitate transiens, nihil
 denigret; imò ut dolia exhauriat, nullo sui
 vestigio relicto, intactis operimentis; gladi-
 ósque, illæsâ vaginâ, absumat; aut nummos,
 cru-

erumena non attaminata: quin vt ipsa animalis ossa minutatim conterat, carne integra. Certè, hunc in modum, Martia Romanorum Princeps grauida, partu exanimato fulminata, citra vllum aliud incommodum, superuixit. Est & inferni ignis in fulmine, adumbratio. Etsi enim eo nihil vrat vehementiùs, multa tamè fulmina habent, quod Aristoteles tradit, de igne in Pithecusis, qui non comburit; aut quod, in vino adusto, experientia monstrat, quo charta, vel pannus imbutus accendi potest, comburi non potest. Quid, quòd ipsum incendium fulmine excitatū, & vt aiunt, vix alio liquore, quàm lacte extingubile, quemadmodum & Asbestus lapis semel accensus, quandā æterni ignis effigiem repræsentat? Ita res mala malis, bonis bona fit materia meditandi; quemadmodum multi in Æthna, Vesuuio, alijsq; ardentibus, & igne eructantib⁹ saxis ac montibus, immo in salis cocti, atque alijs officinis, quas Vulcanus vrit; quin omni flamma aspecta, inferorum sibi incendia imaginantur. Quanquam nihil ad hanc rem cogitandam aptius fulmine.

§. XV.

Ceadda, in tempestatibus, meditatio. Et timoris etiam seruilis utilitas. In-

Arist. de
admir.
cap. 30.

Solin.
cap. 12.
& S. August. lib.
21. de Ciuit. cap. 6.